Hic Amon (Anno mūdi. 4551.) fecit malum coram domino ⁊ percuſſus eſt a ſeruis ſuis obijtq; in domo ſua propria peremptus eumq; cū patre ſuo ſepelierunt.

Joſias rex iude (Anno mūdi. 4558) accepit regnum cum octo eſſet annorum optime regens. Ydolatras perſequens. Sacerdotes ad inſtaurandum templum inducens. populum ad obſeruationem legis ⁊ dei timorem reducens. Ad azimorum feſtiuitatem que paſcha dicitur eos adduxit et phaſe ſolenniter celebrari faciens. Hic demum quia prexit ad pugnandum cōtra regem egipti contra voluntatem domini vulneratus grauiter in hieruſalē ductus migrauit ad dominum ſuper cuius morte Hiere. lamentationes fecit. Cum in omnibus rebus ita glorioſus extitit: vt cum eo iudeorum gloria fere orta ſimul et extincta fuerit. Iſte ioſias adhuc in puericia queſiuit dominum. Perſeuerauitq; vſq; in finem adeo religioſe conuerſatus eſt in lege domini ꝙ dicitur non habuiſſe ſimilem in regibus iuda.

Joathas (anno mūdi. 4589.) malum fecit coram domino: ideo tradidit eum dominus in manus Pharaonis nechao regis qui eum captiuum duxit in egiptum. Et eius ſeniori fratri et eodem patre progenito noīe Eliachim tradidit regnum mutans ei nomen Joachim.

Zaleucus

Zaleucus vir iuſtiſſimus leges cōdidit. et inter cetera decreuit. vt qui adulterij crimē cōmitteret: vtroq; oculo priuaretur. quod cū filius eius cōmiſiſſet: iuſſit ipm exoculari. Uerum tota ciuitas aliq̄diu ei reluctabatur tandem victus inſtantia populi. ne lex a ſe condita violaretur: ſuo prius: deinde filij oculo eruto vtriſq; viſum videndi reliquit. Sicq; mirabili equitatis temperamento: ſe inter miſericordem patrem et iuſtum legiſlatorē partitus eſt. Diſce o xp̄iane quāta diligētia debeas ſancta dei tui precepta cuſtodire: ſi ſic maluit paganus puniri ꝓ iuſta lege ſua ꝙ eam inultam relinquere.

Jeconias cognomēto Eliachī etiā fuit filiꝰ Joſie ⁊ cōſtitutꝰ ē rex a pharaone vt daret mulctā cētū talēta argēti. Et qꝛ fecit malū corā dn̄o aſcēdit contra eum Nabuchodonoſor et factus eſt ei ſeruus annis tribus. Poſtea cum rebellaret iterum contra eum aſcendit interfecitq; eum in hieruſalem et proijci fecit corpus eius extra murum.

Joachim cognomēto Jeconias fuit filiꝰ ieconie: fecitq; malū corā dn̄o: tū ſtatim eſt amotꝰ ne regnaret ⁊ vinctꝰ eſt trāſlatꝰ in babilonē. Māſit aūt ioachī iſte in carcere apd chaldeos. 37. annis ⁊ filiꝰ cū a vīculꝭ poſt mortē pr̄is Nabuchodonoſor ſoluit.

Sedechias anno mūdi. 4600. fuit tercius filius Joſie et vltimus regū Juda et hieruſalem et malus. non audiuit hieremiam prophetā ideo perijt et omnis iuda cum eo ductus in babilonē. Erutiq; ſunt oculi eiꝰ et occiſi filij eius hec quippe hieremias et ezechiel ꝓphetauerant ꝙ vinctꝰ duceretur ad babilonicum regem. Capto igiẗ rege vniuerſū populum caldei trucidauerūt. Et qui gladium euaſerant ad ſeruiendum caldeis abducti ſunt.

Tales mileſius vnꝰ de vij. ſapiētibꝰ clarus habetur: q̄ poſt theologos et poetas ſophi dicti ſunt id eſt ſapiētes: iſte tales p̄mus potuit predicere defectū ſolis ⁊ lune vt dicit Auguſtinꝰ. de his folia precedentia geſta ac dicta eorū manifeſtant.

Tales
Solon
Chilon
Periander
Cleobolus
Bias
Pitacus

ſeptem ſapiētes

Nomina ſeptenum ſapientum grecia cantat.
Partibus ac notos diuerſis orbis honorat.

Linea Chriſti

Amon

Joſias

Joathas

Jeconias

Joachim

Sedechias